



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,  
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Cælestini III. epistola de translatione Berengarij Episcopi Ilerdensis ad metropolim Narbonensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

copo in Tarracona, Episcopo S. in Oscha, Episcopo P. in Cæsaraugusta. Petrus Dei gratia Cæsaraugustanus Episcopus subscripti. Berengarius Dei gratia Tarraconensis Archiepiscopus. Ego Geraldus Auscitanus Archiepiscopus hoc transactionis instrumentum signo meo confirmo & propria manu corroboro. Ego G. Auscitanus Archidiaconus subscribo, & hoc signum facio. Ego Petrus Prior &c. & hoc signum facio. Ego Stephanus Oscensis Episcopus subscribo, & hoc signum facio. Ego Bernardus Olorensis Episcopus subscribo, & hoc signum facio &c. Ego Raimundus hanc cartam scripsi, & hoc signum facio.

CÆLESTINI III. PAPÆ  
epistola ad Capitulum Narbonense, qua  
confirmat translationem Berengarij Episcopi  
Ilerdensis ad metropolim Narbonensem.

Cælestinus Episcopus servus servorum Dei di-  
lectis filiis Capitulo Narbonensi salutem &  
apostolicam benedictionem. Quod Episcoporum  
mutationes utilitatis vel necessitatis causa possint au-  
toritate apostolica licet fieri tam canonum statuta  
quam antiqua sanctorum patrum exempla manife-  
stius protestantur. Etenim beatus Petrus, magister  
noster & princeps, de Antiochia Romam translatus  
est, ut ibi magis proficeret. Eusebius quoque Ale-  
xandriam, Felix Ephesum pro eadem causa fuit hu-  
ius almæ sedis auctoritate translatus. Hac itaque ra-  
tione considerationis & aliarum plurium mutatio-  
num exemplis inducti, nimirum respicientes ad utili-  
tatem Narbonensis Ecclesiæ & necessitatem tem-  
poris, quo in vestris partibus hæresum & sectarum

Anno 1191.  
Vide Innoc.  
III. lib. 10.  
epist. 68.

Q

studia diversa guerrarumque conflictus solito amplius invaluisse dicuntur, inspecta etiam idoneitate personæ in quam laudabiliter convenistis, licet ab initio contradictores aliqui obstitissent, de communi tamen fratrum consilio electionem quam de venerabili fratre nostro Berengario Episcopo Ilerdeni fecistis ratam habemus, & auctoritate apostolica confirmantes, ipsum vobis concedimus in pastorem. Mandamus itaque vobis atque præcipimus quatenus deinceps ei debitum honorem & obedientiam tamquam spirituali patri vestro appellatione remota tam hilariter quam humiliter impendatis, & ita erga eum vos exhibere curetis ut & ipse, sicut pater sollicitus, de regimine vestro debeat commendari, & vos tamquam devotos filios de obedientia eidem exhibita digna laudum prædicatio prosequatur. Credimus siquidem & speramus quod qui in abbatia & episcopatu se gessit utiliter & honestè, in archiepiscopatu opitulaente Domino ea poterit operari quæ & in temporalibus Ecclesiæ vestræ proficient & in spiritualibus correctionem atque meliorationem divina cooperante virtute præstabunt. Datum Romæ apud sanctum Petrum x i. Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno primo.

---

*EPISTOLA I. EPISCOPI  
Lyddensis ad magistrum Michælem Deca-  
num Ecclesiæ Parisiensis & electum Patriar-  
cham Hierosolymitanum.*

An. 1194.

**D**omino & amico suo carissimo Dei gratia Hierosolymitanæ sedis electo venerabili Parisiensi Decano magistro Michæli I. ejusdem permissione Lyddensis Ecclesiæ minister humilis in Spiritu san-